

Petrus de Vinea

*Ep. III 16 (Plene scimus,
nec extraneas testium...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. III 16 (Plene scimus,
nec extraneas testium...)*

1253

Cuidam nobili de Vrbe, animans eum in fide.

1. Plene scimus, nec extraneas testium probationes exquirimus, quanta sit erga nostri nominis fastigium augmentata tuae procurationis intentio, quantusque successiue reflorat erga culminis nostri fastigia, tuae deuotionis affectus, dum, sicut ipsa rerum experientia docente colligimus, quae nostri honoris sunt, sollicitus expetis et factus quasi iam nobis, de nostrae felicitatis promotione, domesticus, negotia nostra munifice uel magnifice sed prudenter ubilibet, placida cordis et fructuosa operis attentione procuras. 2. Ex hoc igitur nos, facti iam tibi et tuis, quasi per debitum, ad commoda quaelibet applicanda beniuoli,... et..., nuntios tuos, uiros prouidos et sollertes, ex parte tua et senatus populiue Romani, nuper ad nostram presentiam destinatos, gratanter recepimus. 3. Qui dum suae legationis officium sollicite, diligenter ac prouide coram nostrae serenitatis aspectibus impleuissent, ecce super capitulis omnibus, quae ipsorum relatio patefacta continuit, expediti, gratiose per nos ad propria remittuntur. 4. Cumque tam nuntii quam cetera, quae ex parte tua et Romanorum omnium nobis successu temporis offerentur, tamquam eorum negotia, quae propria gerimus, gratissima sensibus nostris accedant, circumspectionem tuam, de qua toto corde confidimus, requirimus et hortamur attente, quatenus, firmam fabricans in nostrae magnificentiae liberalitate fiduciam, sic strenuos actus erga honorem nostrum prudenter accommodes, sic industriae laudabile principium, laudabilioribus continuationis semper in antea processibus prosequaris, ut sollicitudinis opera, tanti actoris fulta suffragio, erga te et tuos, ad

effundendam amplissimae dexteram nostrae liberalitatis
inuitent.